

Dominum. et omnium sanctorum. quorum sollem
nitas hodie in conspectu tue maiestatis. re
veratur. **D**omine deus noster tota in diem terrarum
et omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibus
et orationibus. ut in omnibus protectionibus tuis rem
aneamus auxilio **I**n eundem christum dominum nostrum.
Ant igitur oblationem servitutis nostrae
et civitate familie tue. **Q**uesumus domine. ut pla
cueris accipias. dies quoque nostrorum in tua pace di
cas. atque ab eterna damnatione nos tri
lectorum tuorum iubeas grege numerari **P**
dominum nostrum **Q**uia oblationem tuam iuris
omnibus que. benedicta **X** assumpta **X**
rationabile. acceptabile que face
meris. ut nobis. corpus **X** et sanguis **X**
delectissimum filij tui domini nostri ihesu christi

MS 612

Sammelband

Ausg. 1. Bd.

33.

Programma

VICE-RECTORIS ET SENATVS
ACADEMIÆ IVLIÆ

P. P.

IN FVNERE

*Viri Amplissimi, Consultissimi Cla-
rissimiq;*

DN. IOHANNIS
LUDERI,

Philosophiæ & I. Vtriusq; Doctoris Eximij
nec non Civilis Doctrinæ & Iuris Publici
publici atq; Ordinarij Professoris

*Qui XXVI. Decembris Anno clō Iōe
XXXIII. placidē in Christo
obdormiuit.*



HELMÆSTADI,
Etypographéo LVCII,

Anno clō .ō cXXXIV.

62

PROGRAMMA
VICE-RECTORIS ET SENAE
ACADEMIE IULIAE
P. D.
IN EVANG.
VIRI DOCTORIS CASPARII
VIRI

DM. IOHANNIS
LUDERI
Philosophiae & I. V. mag. Doctoris Eximij
huc non Civili Doctoris & Iuris Publici
Magistri et Ordinarii Professoris
Die XXV. Decembris Anno cl. 16
XXIII. placide in Christo
Mortuus



HERMANNI
Eypographo LVCII
Anno cl. 16XXIV





PROFECTOR ACADEMIÆ IVLIÆ
M. PAVLVS MVLLERVS,
S. S. Theologiæ professor publicus, &
in Diœcesi Helmstadiensi Generalis Superin-
tendens.

L. S.



Votidie morimur, singulis momen-
tis pars aliqua vitæ deperditur; plurimis-
que modis sibi ipsi superites, quilibet se vi-
xisse prius, quam vivere, deprehendit. Ple-
rosq; vix surgentes in prima, quod dicitur,
herbula mors occupat: alios, dum vident
ac floreat, præstolatur, qui simul ac amplas magnasq; spes
ostenderunt, occidunt: paucissimi perueniunt ad maturi-
tatem, quos etiam ipsos non unâ falce mors demetit. Ad eò
ut nihil aliud sit nostrum vivere, quàm expectare mortem,
vel, si fatendum quod res est, indies mori. Neq; tamen in-
querelas de conditione & miseria nostra hîc excurremus,
nec referemus vel ex sermone vulgi, vel ex poëtis, vel ex
alijs, tragicas & nimium veras exclamations. Quippe
queis ne hilum quidem minuatur, sed ex aduerso minificè
potius augeatur dolor: nisi quis hoc tantum agat, ut, quæ
omnibus ferenda subeundaq; sunt, eorum minimi declina-
tionis privilegium ab autore universi & stolidè & frustra
flagitari, ostendat. Aliàs umbra quædam, imò vix umbra,
consolationis hæc est, & neutiquam eorum comparanda
solamini, qui incarnato Dei filio credentes æternam ab hac
mortali vita felicitatem spe inconcussâ sibi pollicentur. la-
ceat lanè & conquiescat hoc corpus, & cum eo iunctam id

A 2

quod



quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis, id quod violentum, id quod ad omnia vitia illecebrosum est, & quasi caueâ quadam sepulchri claudatur; modò id, quod virtutibus familiare, amicum disciplinis, studiosum veteris gloriæ, sequax boni, Deoq; subditum est, ad illud sublime evolet, & cum illo puro & perpetuo bono atq; immortali maneat, ipsi adhaerescat & cum ipso sit, de quo cognationem ducit, ut quidam ait: — *Cuius & genus sumus.*

Isthic jam vivit meliore sui parte Vir Clarissimus Consultissimusq; Dn. IOHANNES LUDERVS, I. V. Doctor & politices iurisq; publici publicus atq; Ordinarius professor, collega noster, heu dudum! longè carissimus, cujus exuvias à meridie hora I. magnæ mortalium cunctorum mandabimus matri. Ac de ipsius quidem majoribus jam ante novem septimanas non nihil edocti estis, quum filiolum natu minimum Henricum in patriam cœlestem idē hic Noster præmisisset. Ut nunc quidem supersedere hoc labore possemus, nisi essent inter eos, quorum nomen sine laudum plurimarum adiectione nefas sit proferre. De EVRICIO CORDE nemo id negabit, nisi qui nesciat, quanti ejus ingenium fecerint faciantq; homines de re literaria optimè menti, Iul. Cesar Scaliger, David Chytræus, Georgius Fabricius, Iohannes Bocerus, Conradus Gesnerus, Gualtherus Ryffius, Andreas Galagius, Iohannes Freitagius, Iohan Petrus Lotichius, & alij, quorum testimonia huc adscribere & temporis & pagellarû angustia non admittit. Videbunt ea aliquando studiosi adolescentes, alijq; docti, vitæ Euricij Valerijq; subjecta, quâ utriusq; junctim nondū editâ Luderi nunc piè defuncti vidua servat, nec ut speramus, luci publicæ vel desiderio eruditorû invidet, si monitores modò nacta fuerit. SIMESVS IV M se vocabat hic Medicus & Poëta sui ævi præcellentissimus à patria Simsbusen / qui viculus, cetera quidem minus notus, at Cordi natalibus scriptisq; satis nobilitatus, itinere medio inter Marpurgum & Francobergam, ad Bestavam amnem situs est. Ut aliud egisse, aut saltem memoriâ lapsum esse intelligamus Henricû Pantaleonē, qui par-

te III.

te III. *Prosopogr.* ex Hasso Belgā facit. Cui nomen ideo assum-
psit, ut docet in ejus vita Cl. Meibomius, vel quod, teste Quin-
tiliano, hæc vox serò natum, (qui Græcis οὐζον) significet
ipse verò liberorum matris extiterit ultimus; vel quod sta-
tura fuerit pusilla, quam causam innuere ipsemet videtur
Epigr. LV. in Thilonin. EURICIVS deniq; primùm vocatus
est à Cunrado Mutiano Ruffo, viro, ut appellatur ab ipso
Cordo, *facundo, docto, integro, humano, & religione celebri*, qui id
temporis Gothæ Thuringorum in sodalitiò Ecclesiastico
degebat. Quum enim in baptismo Henrici nomen acce-
pisset Cordus, (Verba sunt Meibomij) quem Hassorum ru-
stici vulgari idiomate Rici dicunt, atq; inde primùm ipse
RICIVM se vocaret, EURICIVM postea ex eodem fecit Muti-
anus, ut indicio est Epigramma XXXVII. in Thilonin:

Lagerat ut Rici versus, Euricius esto,

Ruffus ait: studi est syllaba prima tui.

Amicissimus fuit ob insignem Eruditionem viris doctissi-
mis, qui certatim, collapsas serè tum temporis per Germa-
niam scholas, restaurabant: in quibus, ut paucostantum e-
numerem, HERMANNVS BVSCHIVS, & nobilitate & literis
satis clarus erat, erat GEORGIVS HELTVS, ejusq; discipulus
IOACHIMVS CAMERARIVS germaniz nostræ Phoenix, qui in
narratione de Eobano Hesso, (conterraneo & condiscipulo Cor-
di) de amicitia ejus singulari sibi net ipsi gratulatur, & splen-
didissimo eum elogio exornat: erat IOHANNES LANGVS
Theologus, & GEORGIVS STURCIVS Medicus, uterq; eru-
ditione insignis, hic verò etiam liberalitate adeò clarus, ut
ab Euricio & Mæcenas & Augustus & Maximus deniq; Mu-
sarum Hercules fuerit appellatus: erat deniq;, ante omnes
alios nominandus, ERASMVVS ROTTERODAMVS, è cu-
jus ad Euricium epistolâ, *quæ inter epistolas Erasmi V. est*, digna
sanè ut tota perlegatur, paucula tantum hæc adponemus:
*Ersordia, inquit, ludum literarium aperis; ut felix faustumq; sit pre-
sor. Academiam multis nominibus celebrem reddet industria tuâ ce-
lebriorem. Sed quo alacrius verferis in isto munere, fac meminere*

secundum Principes & Episcopos neminem magnificentius posse mereri de
Rep. quam ludiliterarij magistrum, si rudibus adhuc & in quem vis ha-
bitum sequacibus animis mentem instillet Christo dignam, easq; literas
quae semper optimo cuiq; placuerunt. Quod si me audies, plus opera sumes
in propagandis optimis disciplinis quam in refellendis harum hostibus.
Ad claram lucem vel suapte sponte evanescent tenebrarum portenta.
Reliqua non adjicimus, sed pergimus ad ea quae propius ad
institutum nostrum pertinent. Vxorem igitur duxit Euri-
cius CUNEGUNDIN & Latinè doctam & artis medicæ non
imperitam, IOANNIS RALLAE pharmacopæi Lipsien-
sis sororem. E qua (ne ejus in Italiam itinera & insignes in-
de reportatos honorum dignitatumq; titulos, scripta item
omni laude ac admiratione dignissima variamq; fortunam
referamus) octo liberos, masculos quinque, femellas tres
suscepit. Maximus natus VALERIUS, editus est Sime-
luis anno cl^o 15. die xix. Februarij horâ iv. pomeridia-
nâ, tantamq; assiduo labore ac diligentia etiam in ætate lu-
venili consecutus est eruditionem, ut parentem non jam
æquare sed superare velle videretur. Id quod ejus scripta,
quae in doctorum versantur manibus satis abundè testan-
tur. Gualtherus Ryffius certè *præfat. in annotationes Valerij
Cordi in Dioscoridem*, maximis animi dotibus brevi tempore
eo progressum dicit, ut excellentes medici ac Senes discendi gratia
adolecentem frequentes accederent. Et Conradus Gesnerus in
epist. ad Collegium VVittebergense: *Si Deo placuisset*, in-
quit, diutius in hac vita eum relinquere, nemo omnium hodie, qui
rei plantaria cognitione excellunt (pace ipsorum dixerim) hanc palmam
ei prariperet, non magis quam Herculi extorqueret clavam. Non
hic Cardani, non Chytræi, non Foresti, non Schenkij, non
Calagij, non aliorum deniq; de Valerio judicis adducemus;
solum Georgium Agricolam audiemus adhuc, qui in epist.
ad VVolfgangum Meurerum breviter sed verissimè ait:
*Valerius Cordus, quoad vixit, non cessavit ad me mittere omnia, qui-
buscuq; invari atq; ornari mea studia possent. Invenis longâ vitâ di-
gnus, sed perpetuâ dignior.* Mortuus est Romæ Anno cl^o 15
xl. iv. d. xxv. Septembris, non veneno, ut vult Buntingi-

us in Chronolog. & credit Freitagius in Noct. Med. cap. xv. sed febre ardentissimâ sublatus. Sepultus etiam ibidem non ad D. Clementis, ut putat Chytraus in monumentis Italiae, sed ad D. Mariæ de anima in regione Parionis, ut docet in Epistola ad Meurerum de morte & obitu Valerii Hieronymus Schreiberus, qui ægrotanti ferè semper adfuit, & tam honestum sepulturæ locum per amicos non minori astu, quam labore ac difficultate impetratum, demonstrat. Secundo genitus Eurici fuit PHILIPPUS, Medicus quondam apud Hildesenses Ordinarius. post apud Lipsenses practicus insignis: ubi & mortuus est, filiarum octo, uniusq; filij parens. Tertio genitus AUGUSTUS Alberto Durero, pictori celeberrimo, & scriptis, de fundamentis præclaræ artis suæ editis, nobili operam dedit, & ob peritiam artis IOHANNI FREDERICO SAXONI (quod nomen omnium titulorum splendorem superat) valdè gratus fuit. Quartus, EURICIUS JUNIOR, juvenis obiit. Quintus LUCIANVS, militiæ deditus, in memorabili illa Viennæ Austriæ oppugnatione, quam Soleimannus Turcarum Imperator Anno clō 1521. sed frustræ instituebat, fortiter suo loco in Christiani nominis hostem pugnans, vitam pro patriæ aris focisq; profudit, Quod filias Euricij attinet, omnes quidem illæ verissimum deprehenderunt istud Psalmi CXII. *Prolempiorum Numinis benignitas*

Larga beabit dextera;

Sed instituti nostri memores, unius hic tantum meminimus REGINAE. quæ, data in matrimonium M. BARTHOLOMÆO SPROCCOVIO, Ecclesiæ VVunstorpiensis Superintendenti, & capituli ibidem annis plus minus XL. Seniori, inter alios liberos peperit GERTRUDIN, Viri Clarissimi & à scriptis editis non ignoti ALBERTI LÜDERI Ecclesiæ Pattenhusanæ Superintendentis & pastoris vigilantissimi uxorem. Hæc (nam & Albertum Luderum & Bartholomæum Sproccovium ante paucas septimanas ex hoc loco laudavimus publicè) liberos sex enixa est, & in his Anno clō 1521, XXI. Aprilis IOHANNEM V.

Cl. & Iuris Vtr. Doctorem &c. cui iusta hodie .ut scitis, mo-
re Christianis usitato fient. Is vero ab Optimis Parentibus
optimis statim à pueritia studijs dicatus, in schola primò
Pattensi, deinde Hannoverana ac Hildesiensi optimis præ-
ceptoribus usus, quum prima fundamenta pietatis posuis-
set, & necessariam linguarum cognitionem sibi parasset,
in celeberrimam Academiam VVitebergensem missus est
Anno cl^o 15 cix. Ibi cum per biennium sedulus diligensq;
perstitisset, testimonio, ut par erat, satis honorifico instru-
tus in illustrem hanc IULIAM sese contulit & à Sapien-
tissimis celeberrimisq;, qui tunc vixere, Professoribus tan-
tam Virtutis ac Eruditionis supellectilem acquisiuit, ut à
CORNELIO MARTINI Philosopho eminentissimo An-
no cl^o 15 cxii. Opt. Art. Magister & Philosophiæ Doct^r
publicè renunciaretur. Abijt deinde, parentis iussu Hil-
desiam ad Eximium Ictum SEBASTIANUM THRESCO-
VIUM, ejus iussu ductusq; Jurisprudentiæ & amore captus
est, & fundamenta cæpit. Hinc Marpurgum profectus est,
Academiam VULTEIO & GODDÆO Ictis alijsq; viris
eruditissimis celebrem, quorum per integrum annum non
solum auditor fuit sed etiam sub altero Goddæo publicè, de
difficillima Vscapionum & Præscriptionum materia di-
sputavit, geminumq; ibidem collegium, Politicum alterum,
alterum institutionum, consensu Professorum, Præles ha-
buit. Postea, non obiter perlustratâ Giessensi Academiâ,
Lipsiam à parente missus est, ubi per annum integrum man-
sit, & magnorum virorum familiaritatem ac notitiam, uti
modestè quæsiuit, ita & facilè obtinuit. Sub idem tempus
quum Erfurtensem quoq; & Ienensem Academias visitasset,
jamq; in Italiam cum Nobilibus quibusdam abitum para-
ret, Scholæ Hildesiensis Rectoratum, unanimi Senatus Am-
plissimi decreto sibi oblatum, iussu parentis suscepit. Cui
quidem functioni, non illaudabili sanè, sed valdè laborio-
sæ ita præ fuit, ut cuius cordato, quantumvis refragante in-
vidiâ uberrimè sit factum satis. Cæterum livoris ac malevo-
lentia telis & istic, & alibi semper, ita petitus fuit, ut de nul-
la re

la re alia magis conquerentē audierint interioris admissio-
nis amici. Superavit tamen, qua erat animi constantia,
omnes etiam maximè arduas difficultates, & sæpè summa
cum gratiarum actione divinam misericordiam laudavit,
quod Apostolo teste, neminem tentari patiatur supra id
quod possit. Ut enim, si qui vas vitreum probare voluit,
an sanum & integrum sit, extremitate digiti illud paullu-
lum pulsant, si verò argenteum aureumvè illud sit, etiam la-
pide, aut malleo utuntur ferreo: ita Deus, quos infirmio-
res debilioresq; cognoscit, levius, tanquam vitreos; quos
verò validiores, fortius, tanquam aureos argenteosq; ve-
xari permittit. Propter invidiam igitur quorundam eo
se officio rursus abdicavit, bonaq; cum pace dimissus, feli-
ciauspicio in hanc Academiam Anno clō 1ō cxix. denuo
reversus est, ac paulo post facilè obtinuit ut in Ordinem
Professorum, qui non nisi dignissimo cuiquam patet, patere
certè debet, reciperetur. Nupsit ei Anno clō 1ō cxx. Lucia
Beccia, Ioānis Beccij civis primarij Hildesiensis filia: nuptias
hic celebratas splendore Augustæ præsentia suæ illustrante
Serenissimo Celsissimoq; Principe ac Domino, Dn. FRIDE-
RICO VLTRICO Duce Brunsvicensiū ac Luneburgensiū &c. Do-
mino atq; nutricio nostro Clemētissimo, & STATIBUS PRO-
VINCIAE qui id temporis Academiam de more visitatum
advenerāt. Doctoris in Vtroq; Iure titulū ab Amplis. Ictorū
in hac Academia collegio Anno clō 1ō cxxi. consecutus est,
ut pluribus splendidissimum ipsius testimonium, à singulis
amplissimæ facultatis membris (quæ pleraq; per Dei grati-
am adhuc superant) subscriptum ostendit. Quos filios au-
tem filiasq; è conjugē sua suscepit & pleriq; ipsi scitis, &
ante septimanas novem programmate publico edocti
estis. Ex eo tempore mærore animi ira contabuit, ut ferè
nunquam postea prædierit in publicum, donec ob incre-
dibilem omnium ferè viscerum vel *Sponegias* vel corrupti-
onem penitus lecto affigeretur, & Lentā quidem sed placi-
dissimā morte, Feria secundā Nativitates Christi horā IX.
matutina, necaretur. Vidimus enim in hoc piè defuncto,

B

quemad-



quemadmodum anima decedentis PAVLATIM solvat se vinculis carnis. & ore emissa evolet, tanquam carcereo corporis huius exuta gurgustio ut loquitur præclare S. Ambrosius cap. 2. de bono Mortis. Sensibus integris ac ratione non turbata, quæ magna est felicitas, ad extremum usq; halitum est usus: & quamvis aliquantò diutius cū morte luctari videretur, non semel tamē fatebatur amicis, nullum se, ne unius quidem unguiculi dolorem per sentiscere. Quin potius spe certā ac indubitātā credere, jamjam unigenitum Dei filium affuturum, sibiq; utpote fratri & amico, ob merita ac passionem efficacissimam, æterna gaudia traditurum. Identidem ergò, & ferè sine intermissione, hos versus proferebat:

Da Deus extrema quum vita advenerit hora.

Te presente mori. nil me terrentibus umbris,

Inq; tuos animam amplexus effundere optantem.

Hoc unum mihi. plura aliis optantibus adde:

Et Proferebat quidem tanta cum animi devotione, ut una cum corpore ad beatas illas beatarum mentium sedes evolare velle videretur. Quam piè deniq; ad mortem sese præpararit, pluribus exponeremus, nisi plerisq; omnibus esset quam compertissimum. Optabant certè ac meritò, quotquot eum visebant, similem aliquando *Characrias*, & admirabantur præclara præcepta, quæ non uxori tantum liberisq; sed etiam quibuscunq; alijs, studiosis præcipuè, quorum non pauci semper aderant, suppeditabat. Hos enim obtestabatur, ut, Spretis omnibus fortunæ delirantis ludibrijs, ad bonum publicum, h. e. Ecclesie ac Patriæ totius commoda, omne suum studium referrent, nec unquã sibi persuaderi paterentur, idoneos rebus gerendis esse homines versipelles atq; astutos, verbis alia præse ferentes, alia animo molientes, ac deniq; è malitia & fraudibus confutos sive illi Privatam vitam, agerent, sive locum in Rep. tenerent. Profectò enim, qui vir bonus non sit nec ipsã virtute præstare suis civibus toto animo studeat, eum Prudentis nomen frustra affectare, & hanc sacram appellationem nequamquam mereri. Insignis sane hic locus est, & pridem multis

tis.



ais notus; sed ad usum transfertur rquam paucis. Nam
pauci ita nati, pauci ita erudiuntur ut accessuri aliquando
ad Remp. collineent ad hunc scopum, & utilitate non mo-
veantur, quæ animos hominum præ omnibus facile percel-
lit. Citebat in hanc rem è testimonio suo, ut vocant Do-
ctorali aurea planè, & studiosæ Iuventute diligenter obser-
vanda hæc verba: *Paucissimi sunt à Gadibus usq; ad Gangen, ut po-
ëta loquitur, qui bona à malis, vera à falsis, virtutem à vitis, sapien-
tiam à stultitia, eruditionem ab inscitia prudenter distinguere possint.
Fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ, cum sit triste habitu,
vultuq; & veste severum, ut inquit Iuvenalis: qua forma rerum ex-
terior sapenumero ceteris quoq; malis tantum conciliat autoritatis, ut
habeantur loco honorum & iis etiam ab illis, qui Argo oculatiores ha-
beri cupiunt, præferantur. Hæc difficultas boni & mali disparandi, si-
ullibi magna reperitur, certè in Iurispudentia studio & usu hodie ma-
xima deprehenditur. Nam rem eo venisse videmus, ut si qui sunt, qui
lingua volubilitate præsent, & uno spiritu multas leges & paragraphos
neq; lectos neq; intellectos effutire possint, omnibusq; controuersis se au-
daciter ingerant, & protrahendis causis litem ex lite serant: illi ab
hominum vulgo, quod fere semper abiectis nucleis putamina retinet, pro-
summi habeantur viris, & opibus ac honoribus cumulentur, & pror-
sus i putentur esse, quorum ope Resp. non aliter quam Atlante coelum
nitatur. Ex hoc more quæ turba passim cooriantur, & quantum mali
cum in scholas tum in Respublicas ubiq; locorum redundet, vita com-
munis experientia satis superq; demonstrat, &c. Obtestabatur
igitur, ut diximus, qui tum aderant, studiosos, & iterum
atque iterum rogabat, ut **AGONIZANTI LÜDE-
RO** (his enim utebatur verbis) adeoque optimè verissime-
que consulenti obsequerentur. Facietis hoc magno cum
vestro fructu, O boni! omnes, certoq; vobis persuadebitis,
Virum Optimum & jam jam iudicio Divino appropinquan-
tem, nil aliud præcepturum fuisse quam quod optimum esse
uniceq; sequendū, & statuisset firmiter & experientiâ perdi-
dicisset. Memores etiâ eritis mortalitatis vestræ, ut a pecca-
tis retrahamini: semperq; ob oculos vestros erit posita
fragi-*

fragilitas vitæ nostræ, quæ Nazianzeno teste nil aliud est,
quam: *Ros, vapor, umbra, tumor, pulvis, nix, somnia, fumus,*
Spectrum, pluma, raris transitus, aura, cinis.

Quod superest: in solatium mœstissimæ defuncti viduæ, fœ-
minæ pientissimæ & omni virtutum laude dignissimæ, Itē e-
xequias, itē, qui nostri estis omnes. Exemplum vestrum
reliqua civitas imitabitur. V. O. Helmstädt P. P.

d. V. Ianuarij Anno c1c Icc

XXXIV.




V 17



innumeris gratiis et benedictionibus hanc
viam. hanc **X** innumera hanc sancta **X**
innumera illibata. **X** in primis que tibi
innumus pro ecclesia tua sancta catholica
innumificac custodie. adiuuare. et regere
innumus toto orbe terrarum. una cum familia tua
innuma. Rege. innumo **S** innuma innumo **S** et omni
innumo orthodoxis catholice et apostolice fidei
innumo toribus. **M** innumo dñe famulorum famu
innumo rum tuarum. **S** et omni circumstantium quorum
innumo fides cognita est. et nota deuotio pio quibus
innumo tibi offerimus. et qui tibi offerunt hoc
innumo sacrificium laudis pro se suis et omnibus pro
innumo ratione animarum suarum. pio spe salutis. et
innumo innumo innumo innumo tibi reddunt vota sua
innumo eterno deo uiuo et uero **O** innumo





Farbkarte #13

B.I.G.

ma
ET SENA-
E IVLIAE

E
ultissimi Cla-

ANNIS

RI,
Doctoris Eximij
& Iuris Publici
Professoris

Anno cl^o l^o e
m Christo

DI,
LVCII,
XXIV.

